

www.e-rara.ch

Dissertatio de insignibus eorumq. iure

Faesch, Sebastian

Basileae, 1672

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22465>

Caput VII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

riorum, quæ Parlamenta dicuntur, pallio suo coccinei coloris & pelle muris pontici (*d'hermine*) instructo, quod scuto familiæ substernunt, uti & Pares Galliæ, addito supra galeam in locum cristæ suo galero, quem *mortier* Galli vocant, insignia gentis suæ condecorant. Huc referri possent Officia illa præcipuorum Principum Germaniæ quibus in Imperio præfunt, ideoque ejus signum aliquod scuto suæ familiæ addunt, non ad latus aut à tergo, ut Galli solent, sed in ipso clypeo insignibus gentilitiis mixtum, ut docent gladii, in insignibus Electoris Saxonæ, utpote Archimareschalli; Sceptrum in Marchionis Brandenburgici, tanquam Imperii Archicamerarii, &c. Verùm hæc cum non personarum propria sed familiarum sint & ad hæredes transeant, suo loco recensebimus.

CAPVT VII.

Insignia Gentilitia. Gentis & familiae. Illorum antiquitas. Insignia Stirpium Israëlitarum. Aegyptiorum. Persarum. Civitatum Græciæ. Provinciarum Romanarum. Signa Germanorum. Aliorum. Sigilla veterum. Notæ & imagines clypeorum apud antiquos. Græcos. Germanos. Romanos. Ex Notitiâ Imperij. An etiam fuerint perpetua & familiaria. Insignium modernorum doctrina sub Carolo M. adumbrata sub Henrico Aucupe ejusq. posteris perpoluta. In ludis Equestribus invaluisse videtur.

Sic tandem excussis insignibus Honorariis seu dignitatis ad Gentilitia properat dissertatio: ea pariter duplicia sunt Gentis *ἐν πλάτῃ* sic dictæ, id est populi, regionis vel civitatis; & gentis in specie seu certæ familiæ. Quæ omnia, ut ordine explicentur, primò de illorum origine & antiquitate quàm in re obscurissimâ fieri potest perspicuè, quædam præmittam. Usus insignium antiquissimum esse priscorum temporum historias & venerandæ antiquitatis monumenta perscrutanti non potest esse ignotum: His enim magistris docemur, nullam penè gentem aut Civitatem apud antiquos sine notâ tali, imagine aut signo, quo se agnosci atque ab aliis distingui voluerit, extitisse. Duodecim certè Israëlitarum stirpibus peculiaria signa & vexilla fuisse in quæ distribuebantur, dubitare nos non finit *Numer. cap. 2. vers. 2.* Neque opus est ut ad dubias Judæorum traditiones confugiamus, qui ex verbis moribundi Jacobi

Genes.

1.

2.

3.

Genes. 49. & *Moyſis Deuter.* 33. ſua cuique Tribui ſigna effin-
 gunt : in vexillo Ruben figuram hominis : Simeonis enſem :
 Judæ leonem : Zabulon anchoram : Aſſacher aſinum : Dan ſer-
 pentem : Gad hominem armatum : Azer panes : Naphtali cer-
 vum : Benjamin lupum : Ephraim bovem : Manaſſe cornua
 Rhinocerotis. His addiderunt quatuor vexilla majora , ſub
 quibus illa duodecim Tribuum continebantur. Sed & cujuſli-
 bet Tribus vexillo colorem certum attribuerunt ſimilem illi
 lapidi Rationalis, in quo ſculptum erat nomen ſui Patriarchæ :
 ita vexillum Tribus Ruben rubei coloris fecerunt , propter la-
 pidem Sardium, in quo ſcriptum erat nomen ipſius Ruben : ſic
 & de aliis. Paulus Faſgius *notis in Targum Onckeli in cap. 2. Numer.*
 Hujus generis eſt quod Babylonios quidam columbam pro in-
 ſigni habuiſſe augurantur. Hier. Pradus in *Ezech. c. 17. v. 3.*
 4. Verum, ut mittamus incertas conjecturas, author eſt Diodo-
 rus *lib. 1. Ægyptios*, qui omnem antiquitatem ſibi ſolis tribue-
 runt, cum ſapiens bellis ſuperarentur, ſigna ordinibus præfe-
 renda excogitaſſe, animalium imagines, quæ venerabantur,
 haſtis imponentes. Id Oſiridi tribuit Plut. *lib. de Iſide.* ubi
 hunc exercitum ſuum in certas cohortes diſtinxiſſe, illisque
 omnibus *ἐπισημα ζωόμορφα*, inſignia ad animalium ſpeciem
 formata, tradidiſſe dicit. Illud conſtat, antiquiſſimis tempori-
 bus Perſarum ſignum Aquilam auream fuiſſe pinnas extenden-
 tem, ut tradit Xenophon *lib. 7. de Cyro*, *λέδ δ' αὐτὰς σημεῖον ἀε-
 τὸς χερσὲς ἐπὶ δὲ ἀετῶν μακρὰ ἀναπταμὸν, καὶ νῦν ἔτι
 τὸ τοῦ σημεῖον τῶν Περσῶν βασιλεῖ Διαμνὴ.* & Curtius *lib. 3. c. 3.*
 6. Si ad Græcos tranſeamus, nullam eorum civitatem ſigno tali
 caruiſſe inveniemus cum ex illorum ſcriptis, tum infinitis nu-
 miſmatibus, quæ ex tot præclaris ac toto orbe celeberrimis
 monumentis ſola ferè tot ſeculorum injuriam & crudeles Bar-
 barorum manus illæſa ſuſtinerunt : quibus conquiſendis & ab
 interitu vindicandis olim pro viribus inſudavit Wolſg. Lazius
in ſua Græcia : ſed feliciori genio uſus Hubertus Golzius egre-
 giam in his operam navavit, editis miro artificio & induſtriâ
 omni poſteritati prædicandâ *Numiſmatibus Græcia univerſa, Sici-
 lia item, & magnæ Græciæ.* Nummorum verò Græcorum, qui
 ad Imperatores ſpectant, non pœnitendum numerum annis ab
 hinc

hinc triginta divulgavit Johannes Trifanus *Commenfariis*
Gallicè conſcriptis *de vitis Imperatorum*. Hunc nuper num-
morum copiâ & elegantiâ multùm ſuperavit CL. Pati-
nus noſter in egregio opere *de Numifmatibus areis Impp. & The-
ſauro Numifmatum*. Signa autem illa, ut ad rem accedam, & 7.
inſignia Civitatum Græciæ, ἐπισημα τῶν πόλεων, non unius ge-
neris fuerunt. Inſignia Deorum maximè uſurpabant, de qui-
bus *cap. 2. n. 4.* hujus diſſertationis dictum: hæc ſingulæ affu-
mebant in illius Dei honorem, quem præ aliis veneraban-
tur & ſibi propitium exiſtimabant: Sic Epirotæ uſi ſunt Aquilâ
& fulmine: Delphilyrâ: Athenienſes noſtuâ: Byzantii uvâ:
Pheſtienſes Hercule cum hydrâ, leone vel tauro: Lemnii mal-
leo & forcipe Vulcani: Samii pavone vel ſceptro Junonis:
Deli Apolline vel Dianâ: Coi ſerpente Æſculapii: Rhodii Sole:
Paphii Cupidine vel capite Veneris: Ephēſii cervo. 8.
Vel deſu-
mebant hæc ſigna à fertilitate ſituque regionis, quam incole-
bant: hinc Dyrrachii vacca lactans vitulum: Ætolix aper:
Theſſalix ejusque capitis Lariffæ equus: Bizantii tridens cui
implicitus Delphinus, vel tres piſces: Sicilia, quæ olim Tri-
nacia, tria crura: Metaponti ſpica: Syracuſæ caput Arethu-
ſæ, &c. Ita piſces in nummis Syracuſanorum, Catanenſium,
Thuriorum, Maſſilienſium, aliarumque urbium maritimarum;
ſpica & frumenti grana plerunque Sicilia & magnæ Græ-
ciæ urbium, ſicut & in typis Hiſpaniæ, Africae atque Ægypti
apud Romanos, fertilitatem indicant. Vel denique ſigna iſta 9.
ad demonſtrandam originem vel nominis convenientiam, aut
in rei alicujus geſtæ memoriam, aliamque ſimilem ob cauſam
recipiebant: ſic Corinthii utebantur Pegaſo, cui infidebat Bel-
lerophon: Thebani ſcuto Herculis: Cratenſes ſerpentibus:
Chii Sphinge: Cythnii cane: Parii capite Meduſæ: Eubœi ca-
pite bovino: Rhodiēſes roſâ: Leontini capite leonis: Velien-
ſes leone: Locrenſes aquilâ lepori aut fulmini inſiſtente: Thu-
rii tauro: Neapolitæ Minotauro, quem victoria ſupervolans
coronat: Heraclitæ Hercule leonem conſciente: Peloponneſii
teſtudine, unde illud:

Τὰ ἀρετῶν ἔτιν σοφίαν νικῶντι χελῶναι.

Virtutem & ſapientiam vincunt teſtudines.

nummos enim teſtudine ſignabant. Pollux *Onom. l. 6. c. 9.* tam-

H

dem

- dem Achivi junctis duabus literis initialibus sui nominis X :
10. Argivi solo A : ut Lacedæmonii literâ Λ. Græcos imitati sunt Romani, qui Provincias urbesque rerum, quarum maximè feraces sunt, symbolis ceu propriis insignibus notârunt: norunt enim quotquot nummariam antiquitatem tractant Africam elephanto aut scorpione, Arabiam camelo, Ægyptum crocodylo & Ibe ave, Tyrum atque Judæam palmâ, Hispaniam cuniculo, Daciam rupe, Mauretiam equo, quin & Germaniam nostram in nummo M. Aur. Antonini abiete designari: Britannia autem cum clypeo suo exprimitur: Carthaginem caput equinum designat, de quo Virgil. *lib. 1. Aeneid.*
11. Germaniæ quoque antiquos populos ferarum variarum imagines sylvis lucisque depromptas, tanquam propria cuique signa in bellum extulisse testis est Tacitus *Hist. lib. 4. c. 22. & German. c. 7.* Gothos & Saxones olim dracones insignium loco circumtulisse refert Wirich. Monach. Corbej. *lib. 1. Annal. & ex antiquo lapide Loccenius Antiquit. Sueo-Gothicar. lib. 3. c. 2.* videntur adhuc hæc Germanorum signa in Columnâ Antonini Romæ. Draconibus his conto appensis Scythas quoque usos esse in bello Suidas testatur: *Σημεία Σκυθικὰ ἀ Φερσον ἐν τῷ πολέμῳ ὑφ' ἄσματα εἰς Βαφῆ πεπιλιμμένα, ἀ εἰς ἰδέαν μάλιστα ὀφείων εἰκασται ἕ ἀπ' ἁρώσταυ κέντων συμμέτερον.* De Parthis idem docet Lucianus *libello de conscrib. hist.* ut de Romanorum draconibus aliisque militaribus signis jam taceam. Hæc de antiquis Regionum, urbium, populorum insignibus. Fuerunt etiam Heroibus Principibusque viris ab omni ævo suæ peculiare notæ, quas in clypeis maximè effingebant, ut postea videbimus. Nec defuerunt annuli signatorii, quos suo quisque signo vel proprio vel à majoribus accepto notabat. Ægyptios bellicosorum annulis Scarabeum insculpsisse scribit Plutarchus *de Iside & Osir.* Persicorum Regum *σφραγίδα* seu sigillum in annulo expressum, cujus aliquoties meminit Esther *cap. 8.* ipsorum Regum effigiem fuisse censent, ut & Alexandri M. de quo Curtius *lib. ult. c. 6.* Arium Lacedæmoniorum Regem figurâ aquilæ unguibus draconem tenente literas ad Oniam Pontificem datas ob signâsse author est Josephus *Antiq. l. 12. c. 5.* Seleucum ejusque posteros anchoram femori ab ipsâ naturâ impressam

impressam in annulis gestâsse prodit Appianus in *Syriac. Justin.*
l. 15. c. 4. idem sentiendum de sigillis & *δοσφραγίσματα*
 aliorum Græcorum, de quibus plura in veterum scriptis gem-
 misque extant vestigia. Romani quoque diversarum rerum
 effigies, prout quisque sibi elegerat vel acceperat à majoribus,
 annulis signatoriis insculptas habebant : modò imagines
 Deorum : modò capita clarorum virorum majorumque suorum
 & amicorum : modò figuras animalium : modò rei alicujus
 fortiter gestæ historiam. Sculptarum ejusmodi gemmarum
 elegantissimam copiam orbi literato visendam excutiendam-
 que præbuit Abraham Goriæus in *Dactyliothecâ* : quasdam etiam
 publici juris fecit Stephanonius *libello de gemmis*, & Fortunius
 Licetus *libro de Annulis*. Sulla traditione Jugurthæ signâsse di-
 citur, unde discordiarum origo inter illum & Marium. Plut.
in Polit. Lucullus effigiè Ptolomæi : Mæcenâ ranâ. Seneca
ep. 14. Pompejus leone enfem ferente, ut Plutarchus commem-
 morat ; tamen si hunc Dio *lib. 42.* tria trophæa annulo inscul-
 pta habuisse dicat, quibus & Sulla usus fuerit. Epicuri fami-
 liares ejus imaginem non modò in tabulis sed in poculis &
 anellis habuisse, tradit Cicero *lib. 5. de finib.* C. Jul. Cæsarem
 Veneris Armatæ seu Genetricis, unde Julia gens se ortam ja-
 ctabat, quamque idèd præcipuè colebat, imagine signâsse, eam-
 que in armis habuisse, in pugnâ invocâsse & loco tesserae militi-
 bus dedisse legimus apud Dionem *lib. 44.* aliosque. Dea hæc
 sæpius videtur in nummis familiæ Juliæ apud Fulv. Ursinum,
 unde illam non solius Cæsaris sed totius gentis symbolum
 fuisse colligere est. Augustus in diplomatibus libellisque &
 epistolis signandis Sphinge primò usus est, mox imagine Ale-
 xandri M. novissimè suâ Dioscuris manu sculptâ, quâ signare
 secuti quoque Principes perseverârunt, Suet. *in Aug. c. 50.*
 Plin. *l. 37. c. 1.* excepto Galbâ (ut Dio addit *lib. 51.*) qui canem
 é prorâ navis prospectantem, signum à majoribus ad se delatum,
περιγονικὸν σφραγίσμα, usurpavit. Sphinx Augusti etiam num-
 in nummis ejus conspicitur, qualem exhibet Erizzo *disc. sopra*
le Med. p. 10. in nummis. videtur & in numismate T. Carisii, qui
 sub Augusto III vir monetalis fuit, quod hanc in rem producit
 Levinus Torrentius *in Sueton. d. l. Ursinus in famil. Carisii p. 61.*

Neronis sigillum, ut exhibet du Choul *de la Religion des anciens* p. 213. & præcipuè Gorlæus in *Dactylioth. annulo III.* annulus est aureus cum gemmâ Sardâ hinc inde versatili, cujus ex uno latere incisus Marsias ille, qui temerario ausu Apollinem provocasse dicitur, arbori alligatus cum adstante Apolline, &c. fabulam enarrat Apulejus *lib. I. Florid.* ex adversâ annuli parte facies Neronis & Agrippinæ auro incisæ videntur. Plura ejusmodi sigilla videri possunt apud ipsum Gorlæum. M. Antonium symbolo leonis usum apparet ex ejus nummis apud Fulv. Ursinum *in fam. Antonia.* Fortè Nemæusest: ab Antenore enim Herculis filio descendisse hanc gentem vetus fama tenebat, ut Plutarch. refert *in vitâ Antonij.* Seu potius triumphum Antonii respicit, quo leones primùm ad currum junxisse dicitur. Plin. *l. 8. c. 16.* Proprius scopum nostrum tangunt notæ & imagines clypeorum, quas ab omni ævo in usu fuisse & cum ipsis clypeis statim post bellorum ortum cœpisse verosimile est: quamvis Carum Asiæ populi inventum id esse scribat Herodotus *lib. 1. c. 31.* & Strabo *lib. 14.* In Græcorum scriptis infinita occurrunt ejusmodi *ἐπισημα*, quæ Heroas ac Principes in bello gestasse, ut ex iis dignoscerentur, testatum reliquit remotissima antiquitas. Anubim ac Macedonem filios Osiridis canem & lupum, animalia utriusque naturæ convenientia, in armis tulisse scribit Diod. Sic. *antiq. l. 1. c. 2.* Jovis scutum Ægis dicebatur *δοτό τῆς αἰγῆς*, à caprâ, quod Amaltheæ capræ Jovis nutricis pelle seu imagine esset exornatum: atque inde aliorum quoque Deorum scuta Ægides nuncupata sunt, ut Junonis ap. Homer. *Iliad. 3. 738.* Apollinis. *Iliad. 15. 308.* Minervæ. *Il. β. 448. &c.* in hoc Gorgonis caput visebatur aliaque incutiendo terrori apta, ut describit Poëta *Il. 5. 140.* & ex hoc Virgil. *Aeneid. 8.* Sic scutis, qualibus apud Trojam pugnatum est, imagines contentas fuisse scribit Plin. *l. 38. c. 3.* Celebratur præcipuè ab Homero clypeus Achillis sui, quem Vulcanus fabricaverat *Iliad. 18. v. 478. & seqq. usque ad finem*, in quo universa mundi machina erat efficta: ad hujus exemplum suum *ἀσπίδα Ἡρακλέους*, Hercules scutum composuisse videtur Hesiodus, versus certè ex illo transcripsit integros, ut *115. & seqq.* Homerum quoque ut in aliis omnibus imitatus est Virgilius in de-

in descriptione clypei Æneæ in calce lib. 8. *Aeneid.* In scuto
 Agamemnonis cernebatur Gorgon terribili facie cum dracone
 tricipiti. *Iliad.* II. v. 35. Ulysses Delphinum annulo signato-
 rio clypeoque insculptum gestasse Plutarchus tradit *lib. de*
Solertiâ animalium in fine. In scuto Menelai draconem expres-
 sisse antiquos ob prodigium in Aulide visum testatur Pausa-
 nias in *Baoticis.* Idomeneus Rex Cretensium gallum gallina-
 ceum in scuto habebat depictum, teste eod. in *Eliac.* Aristome-
 nes Messenius Aquilam extensis alis, ut vidisse se idem testa-
 tur in *Messen.* lib. 4. Epaminondas draconem referente eod. in
Arcadic. Demosthenes bonam fortunam. *Plut. in viis X. Orat.*
 Scutum Alcibiadis apud Athenæum *lib. 12.* ex ebore & auro
 factum habet ἐπίσημον Ἐρωτῆ κεραυνὸν ἠγκυλιμηκόον, Cupidinem
 brachiis fulmen complectentem: ut jam Æschyli in suis ἐπιὰ ἐπιθήβαις,
 Euripidis in *Phœnissis*, aliorumque Poëtarum testimonia præ-
 teream. Germanos quoque majores nostros scuta sua leuissimis
 coloribus distinxisse Tacitus memoriæ prodidit *libello de moribus*
Germanor. c. 6. ideoque ea *fucatas colore tabulas* appellat *Annal.* 2.
 c. 14. & talia apparent in nummis Germanici, Domitiani, Com-
 modi. Quæ res argumento esse potest illa omnium antiquiffi-
 ma nobilitatis Germanicæ esse insignia, quæ simplicissima,
 aut certis duntaxat lineis vel coloribus distincta. Attamen &
 animalium ferarumque signa in bella eduxisse Germanos mo-
 dò *ex eod. Tac.* diximus, & jam dicemus: unde conjicitur,
 hæc civitatum, populorum Principumque, illa privatorum
 fuisse insignia, ut non malè colligit *Phil. Cluverius Germ. ant. l. 1.*
 c. 44. *Quintilianus lib. 6. c. 2.* mentionem facit scuti Mariani
 Cimbirci, in quo imago Galli picta erat, quod scutum signa
 loco ad tabernam erat appensum. De Wetekindo Saxonum
 Duce refert *Cranzius lib. 2. c. 4.* cum ejus insignia, quæ mi-
 litaribus signis præferebat, pullum prius equinum haberent
 atrum, placuisse Carolo M. Principi illi à se devicto & ad Chri-
 stum converso candidum dare. Gallos veteres, quorum gens
 eadem penè cum Germanâ fuit, coloribus variis, quosdam &
 animalium imaginibus scuta exornasse *Diodorus.* Sic. author
 est *lib. 6* χερσῶνται θυρεοῖς μὲν ἀνδρομήκεσι, πεποικιλμένοις ἰδιω-
 τέρως, πινὲς δὲ ζῶων χαλκῶν ἐσχάτως ἔχουσι. Jam de Roma-

14.

15.

norum clypeorum parmarumque insignibus multa proferre quid attinet? rem totam declarat Vegetius lib. 2. de Re milit. cap. 18. *Nemilites*, inquit, in tumultu praelij à suis contubernalibus aberrarent, diversis cohortibus diversa in scutis signa pingebant, ut ipsi vocant *ἄστυματα*, sicut etiam nunc moris est fieri. Hinc legio fulminea dicta, quæ fulmen in scutis depictum habebat, qualem describit Valer. Flaccus 6. *Argonaut.*

*Cuncta phalanx insigne Jovis cœlataq; gestat
Tegmina, dispersos irridis ardoribus ignes.*

16. Huic rei Columna Trajani & Antonini aliaque plurima monumenta fidem faciunt. Quamvis, ut alii volunt, fulminea & fulminatrix legio postea dicta sit Christianorum, quæ sub M. Aurelio Imp. siti laborante exercitu in bello contra Marcomannos precibus suis imbrem à Deo impetravit, ut Tertull. recenset in *Apolog. c. 4.* cujus miraculi memoria extat adhuc in columnâ dicti Imp. Romæ. Hæc clypeorum insignia & *ἄστυματα*, ut vocat Vegetius, quibus omnes Imperii Legiones & Equitum Vexillationes utebantur, ac inter se discernabantur, quorum plurimas explicat Pierius in *Hierogl.* depinguntur in libro, qui *Notitia dignitatum utriusq; Imperij* inscribitur; quem sub finem principatus Theodosii junioris conscriptum esse censet ibi Pancirollus in *Præfat.* nihilque esse aliud, quàm *Laterculum*, cujus aliquoties meminit jus nostrum, & libellum, quo opes viresque Imperii continebantur, qualem suâ manu perscripserat Augustus, teste Tacito & Dione, quemque *Rationarium Imperij* vocat Sueton. c. 28. in *Aug.* Neque clypeorum tantum notæ ibi exhibentur, sed & suis quæque coloribus depinguntur, quæ ratio certè quàm proximè accedit ad nostrorum familiarium scutorum modum. Ita, ut exemplis rem illustremus: *Joviani juniores*, lecti à Diocletiano, qui se Jovem nominabat, teste Sozomeno l. 6. c. 6. in parma luteâ, quæ rubro primùm circulo, deinde sapphirescente cingebatur, aquilam gerebat expansis alis, à cujus pectore aureus extabat umbilicus. Pancir. *Notit. Imp. Orient. cap. 38. Herculiani seniores*, à Maximiano, qui se Herculem dicebat, nomen sortiti, aquilam luteam luteo trunco insidentem gestabant in parmâ lutei sapphirescenti, cujus marginem eodem colore sed dilutiore circulus ambibat.

ambibat. Pierius *Hierogl. lib. 19. c. ult.* Pancir. *d. l. Forte ses feix Fretenses* in cærulei clypei umbone rubrum globum vinculo luteo cinctum gestabant, quod octo acutos cuspides seu radios emittebat in modum stellæ, *ibid. Salij* auxiliares Germaniæ populi à Salâ fl. Franconiæ ita dicti in parmâ cæruleâ orbem luteum circulo rubro circumdatum gerebant, quem luteus cippus sustinebat, marginem clypei luteus limbus claudebat. Pancir. *ib. c. 39. Septima Gemina Legio Gallica*, quæ erat sub Magistro militum per Orientem, in scuti lutei umbone album orbem latum, duobus circulis luteo & cæruleo cinctum gestabat, unde octo virentes rami querni emanabant. Pancir. *ib. c. 49. Prima Flavia Theodosiana* in clypeo albo rubram crucem habebat, in cujus medio pelta item rubea aureum orbiculum inclusit, in imo ab utrâque parte crucis duo dimidiati canes averfi cum impetu latrantes ferri videntur. *ibid.* Pauca hæc è sexcentis clypeorum insignibus, quæ dicta Notitia depingit, exempli loco protulisse sufficiat; plura enim exscribere neque locus neque instituti ratio permittit, licet non refugeret materia, quam pertractandam suscepimus: cum viri etiam doctissimi insignium nostrorum originem exinde deducendam putent, quorum quidem iudicio etsi multum tribuendum censeo, rem totam inde repetendam esse pernego. Neque credo quenquam cum authoritate dicturum, clypeos hos distinguendis familiis aut nobilitati demonstrandæ unquam fuisse adhibitos, aut à parentibus ad liberos transisse; prout enim quisque in legionem adlegebatur, ejusdem insignibus clypeoque instruebatur. Hic mihi audire videor plurimos dubium illud multum in hoc scripti genere agitatum moventes: *Nul-lané ergò fuerim perpetua ac familiaria insignia apud antiquos?* Rem plerisque non satis expeditam paucis explanabo. Populis, urbibus ac regionibus, etiam antiquissimis temporibus, sua fuisse symbola abundè, ut puto, supra demonstratum est. Fuisse & olim nobilibus quibusdam familiis suas notas atque insignia, nemo in veterum scriptis paulò exercitior inficias ibit. Quid enim aliud Seleucorum anchora, Juliorum Venns Armata, Galbæ canis è prorâ prospiciens *αεθροννέν σφεγγισμα;* nec non Torquatorum torques, de quibus modò dictum *n. 12. & cap. 6. n. 28.* quid, inquam, hæc aliud fuerunt, quàm

quàm signa gentilitia ac nobilium familiarum notæ? sic apud Ovid. 7. *Metam.* Ægeus filium Theseum agnoscit ex notâ gentilitiâ in gladii capulo sculptâ.

*Cùm pater in capulo gladij cognovit eburnæ
Signa sui generis. -- --*

De simili notâ loquitur Seneca in *Hippolit.*

*Regale parvis asperum signis ebur
Capulo refulget gentis Aethææ decus.*

Huc spectat clypeus Aventini, cui Virgil. *Aeneid.* 7. patris Herculis insigne tribuit, de quo videndus Hesiodus in *scuto Herculiæ.*

*Victores ostentat equos satius Hercule pulcro
Pulcer Aventinus, clypeoq; insigne paternum
Centum angues circumdantq; gerit serpentibus hydram.*

Metellos capite elephanti vel elephanto usos ostendunt nummi apud Urfinum in *familiâ Ceciliâ.* Idque in honorem L. Metelli ejus, qui primus elephantos primo bello Punico junxit in triumpho, ut docet vetus inscriptio & Plinius *lib. 8. c. 43.* Buteonum familia nobilis apud Rom. ex gente Fabiâ, ita dicta à Buteone ave, quæ prospero auspicio in Fabii ducis navi confedit, referente Plinio *l. 10. c. 8.* avis hujus signo usa est, ut docet denarius C. FABI. C.F. Idem dicendum de gente Thoriâ, quæ tauro: de familiâ Scarporum ex gente Pinariâ, quæ manu: de Furiâ Crassipedum, quæ pede: aliisque quæ signo aliquo nomini suo convenienti in nummis veterum designari videmus, quæ antiquissima est insignium ratio, ut postea *c. seq. n. 10.* videbimus. Huc etiam referendus Corvino-
rum corvus, de quo Silius *lib. 5,*

*Corvinus Phæbea sedet cui castide fulvâ
Ostentans ales proavita insignia pugne.*

Verùm paucarum familiarum propria hæc fuerunt symbola, neque validum inde argumentum etiam ad reliquas duceretur: constat enim plerunque pro lubitu signa sibi atque insignia priscos effinxisse; sæpius etiam immutasse, ut modò de Augusto docui. Accedit quòd nostra insignia non tam rebus, quàm certis coloribus constant, quibus clypeorum area atque imagines distingui solent, prisco illi ævo utique incognitis, aut certè hæc in re non usitatis. Fatendum itaque cum Velfero omnis antiquitatis peritissimo, symbola & signa antiquorum

ad unum idemque præscriptum cum nostri ævi insignibus non esse exigenda, alio namque atque alio ritu, prout temporum seruebant consuetudines, ea constituta videmus, quin leges, quæ hodie, opinione an certo jure, insignia circumseribunt, ut antiquissima sint, Carolum M. non prævertunt, à quo primùm adumbratas, sub Henrico demùm Aucupe & posterù perpolitas arbitror. Hæc Velferus lib. 4. *Rer. August. Vindel. circa fin.* A' Carolo M. primùm hæc nobilitatis insignia manâsse auguratur Aldroandus *Ornithol. Tom. 1. lib. 1. tit. usus Aquila in insignibus. p. m. 89.* consuevisse enim Carolum ob res fortiter gestas signo aliquo clypeos militum exornare, quò posteri eorum pariter ad virtutem incitarentur, testatur Erpold. à Lindenbr. in *Chron. Caroli M. tit. von der von Alvefleben wappen.* cujus verba adscribam. Man liser in etlichen fragmentis auß dem Closter Marienthal im La. dzu Braunschweig/ daß nach dem Carolus das Geschlecht von Alvefleben zu Grafen gemacht/ hab er ihr vätterlich Wappen geschmuckt / und Alvonis That herrlich gemacht / und oben im Triumph-baum / Fah. und Zeichen mitgetheilt / &c. Dann Carolus den brauch gehabt/ daß er allezeit im Schildt einem ieglichen der sich ehlich gehalten im Krieg / als ein sonderbar merckmahl / etwas gegeben hat / darauß man ihre manheit und adeliche Thaten hat sollen erkennen / und wann die Na. kommen es angesehen / auch dergleichen zu thun underrwinden sollen. Huc etiam referri possunt, quæ de Weterkindo supra n. 14. attulimus. Rectiùs tamen Velferus adumbratam leviter censet insignium doctrinam sub hoc Imperatore, excultam demum sub Henrico I. & posteris: quæ enim hæc tempora præcedunt, obscura valdè sunt & incerta. Henricum verò prostratis ingenti clade Hunnis seu Hungaris & Germaniâ ab iniquissimis illorum exactionibus liberatâ ludos Equestres, quæ Torneamenta dicuntur, in Germaniâ primùm instituisse circa A. C. 935. (mortuus enim est Henricus A. 936.) ex historiis constat: atqui in his ludis artem Heraldicam, uti vocatur, seu doctrinam insignium excoli cœpisse, atq; inde in alias quoque regiones transisse, multis argumentis inducor ut credam. Certum enim est & solertissimorum quorumque antiquitatis indagatorum judicio comprobatum, armorum familiarium ante seculum undecimum Æræ Christianæ nullum extare indicium in veterum monumentis: & testatur Menestrier *ch. 2.*

de l'Origine du Blason, se post peragratam Germaniam, Galliam, Italiam, Belgium, in quibus veteres fornices, ædificia, portus, altaria, sepulcra, & quicquid antiquitatis ubique fuit, sedulo observârît, vetustissima etiam Tabulariorum, quæ Archiva vulgò dicuntur, acta literasque pervolutârît, antiquius documentum ejus rei non reperisse. insignibus illis Varmundi Comitis à Wasserburg, quæ Ratisbonæ in templo S. Emerani ad latus chori conspiciuntur adjecta pedibus Comitis decumbentis supra tumulum : Scutum est nudum in partes duas dissectum, quarum superior candida Leone notatur, inferior nigri coloris ad marginem hanc inscriptionem continet. Anno Domini MX. in die S. Leonis P P Dominus Varmundus nobilis Comes de Vuasserburg, qui huic Monasterio dedit Hofmarchiam in Vogtereut, hic sepultus. Sed ut ad ludos Equestres, unde armorum familiarium originem deducimus, revertar; ad hos homines novos, id est recentis nobilitatis, non consuevisse admitti constat, sed eos tantum, qui quatuor proximorum generis auctorum gentilitiis insignibus nobilitatem demonstrare poterant. Welcher von Adel wolte einreiten und thurniren der nicht von seinen Elteren Edelgeboren und herkommen wäre, und das mit seinen vier Anichen nicht beweisen kunt, der mag mit recht dieser Thurnier keinen besuchen / &c. ut habet artic. 12. legum in primis ludis Equestribus conditarum : sive ut sonat artic. 1. legum in ludis Heidelbergensibus positarum : Es soll keiner geheilt oder in Thurnier zugelassen werden / er seye dann von seinen vier Ahnen / Vatter und Mutter Edel / Wappens-genossen / und ehrlich herkommen / i. e. nullus ad Torneamenta admitatur, nisi cui avus & avia ex utroque parente fuerint nobiles & insignium participes. His consentit Statutum Silesiæ, ut patet ex tract. vom Ritter-Recht. fol. 1. & 40. daß keiner sich deß Ritterstands gebrauchen kan / er seye dann vierschildtig. Hinc mos antiquus, ut qui decursuri erant galeas suas & arma lustrationi offerrent, sie wurden zu der schaw auffgetragen / ut à Regibus ludorum, qui quatuor erant juxta quatuor circulos, in quos universa multitudo disponebatur, & quatuor in id electis senioribus toridemque junioribus cum Heroltis totaque Gynœceo examinarentur & lustrarentur. Es wurden erwehlt vier alt und vier jung / die mit sambt den Thurnier-vögten / Frauen und Jungfrauen / auch den verordneten

Dneten Ehrenholben zu der Helmitheilung die Kleinot der Wappen
sollen helfen beschauen und theilen. Georg. Reixner im Thurnier-
buch. p. m. 34. In frequentissimo igitur hoc Nobilium conflu-
xu, quorum quantorumque majorum quisque non indignus
hæres extitisset summopere demonstrare studebant: hinc qui-
bus illi signis scuta sagasque notaverant, ut ex iis in præliis &
Torneamentis dignoscerentur, hi quoque in scutis, vestibus
atque ephippiis, tanquam majorum suorum præclare gesta
in hominum memoriam revocantes sui que generis originem
ostentantes in illustri hoc Nobilium cœtu utebantur, cum de
majorum nobilitate exinde facile constare posset: neque enim
ignobilibus ac plebejis has familiares notas usurpare permissum
erat, ut infra cap. II. pluribus dicam: itaque illæ ceu certum nobi-
litis signum etiam ad posteros transmissæ familiaria insignia
esse cœperunt, quorum maximus usus in ludis Equestribus
erat: unde in Rescriptis Imperatorum, quibus insignia nobi-
litis concedunt, prima ac præcipua illorum mentio fit. *Qui-
bus armorum insignibus Tu & posteritas tua in omnibus honestis actibus
tam serio quam joco, Nobilium, militarium, Armigerorum more in Tor-
neamentis, Hastiludis, bellis, &c. uti frui possitis.* Ex ludis his & il-
lud originem habet, quod cristarum rerumque quæ galeis im-
ponuntur diversitate familiæ & eorum diversæ stirpes discer-
nantur, ex his enim maximè Equites, cum concurrebant di-
gnoscebantur, unde constitutum video in legibus Equestribus,
ut uni tantum galeæ unius ejusdemq; familiæ in Torneamentis
decertare liceret. Es soll auch zu iedem Thurnier nicht mehr dann
ein Helm eines Geschlechts einreiten und thurnieren. vid. Spangen-
bergs Mannsfeldische Chronick c. 125. Jam quod galeæ insignium
clypeis jungantur à ludis Equestribus provenire dicendum est:
in his enim arma eorum, qui decursuri erant, juncta in mona-
sterio aliòve loco publico secundum seriem collocare moris
erat pridie antequam in arenam erat descendendum, ut exa-
mini, de quo dixi, subjicerentur, omnibusque ea inspiciendi
copia esset; quare non erectos clypeos sed in latera, dextrum
imprimis, incumbentes in veteribus Regum quoque & Princi-
pum monumentis videmus, adjectis in erecti lateris angulo
seu extremitate galeis. Menestrier Orig. des armoir. ch. 4. cujus rei
plura exempla suppeditant etiam templa nostra. Quin & ipsa

21.

22.

23.

24. galearum apertura, quâ hodie nobiles à plebejis discernuntur, hinc originem ducit, unde & galeas apertas Thurnier helm vocamus, ut infra c. 4. n. 23. docebo. Variiegata quoque & lectissimis coloribus in miram figurarum varietatem diductis distincta scuta, quamvis antiquissimi usus sint, ut supra n. 14. ex Tacito probavi, & infra c. 9. n. 16. plurib. dicitur, ubi & alia huc spectantia videri possunt, in Torneamentis maximè invaluere, quorum vestitus eodem modo variegatos, dissectos, scutulatos, imbricatos, turbinatos &c. exhibent piëturæ vetustæ Augustæ Vindelicorum, Norimbergæ, Ratisbonæ alibi que locorum. Menestr. d. c. 4. *Blason* certè vox Gallorum, Anglorum & Hispanorum, quæ artem insignia componendi & explicandi significat, aliunde derivari facile nequit, quàm à Germanorum *blasen*, flare vel tubâ canere, ut fatetur Menestr. d. l. cornuum enim tubarumque sonitus frequentissimus erat in his ludis, cum armorum insignia agnoscebantur cumque concurrendum erat, unde illud: also ward aufgeblasen in die Schrancken zureiten / da wurden die Sehl abgehauen und sieng der Thurnier an. Tandem, ut alia præteream, ipsam artem Heraldicam, quæ doctrinam insignium tradit, à ludorum Equestrium Heraldis, Ehrenhold / Ründiger und Nachfolger der Wappen / quorum munus præcipuum erat arma lustrare, galeas fortiri, insignia nobilium depingere & agnoscere, leges aliaque in ludis observanda adnotare, recitare, nevé quid contra mores legesque fiat dispicere, denominatam esse quis non videt?
- 25.
- 26.

CAPVT VIII.

Causa insignium assumendorum. Arbitrium & affectiones hominum. Terror hostium. Gesta majorum. Origo. Virtus & dona militaria. Trophæa Lazij an insignia? Parma alba. Locifertilitas & situs. Nominis conventia. Officium. Genus vita. Inventiones nova. Religio. Eventus insoliti. Jus in re. Factiones. Bellum sacrum. Concessio.

1. Verùm ut obscuram insignium originem, quoad fieri potest, reddamus perspicuam, varias causas illorum assumendorum enarrabimus, ex quibus de eorum ortu, incremento ac perfectione faciliùs constare possit. Prima clypeorum insignia Emblemata fuerunt ac symbola pro cuiusque arbitrio vel ingenio efficta, quorum notitiam ab Ægyptiis, quibus illa fermè propria